

D. D.

MELETEMA HISTORICUM

DE

HOLMGARDIA, I

Cujus

PARTEM PRIOREM,

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOSOPH. IN RE-
GIA ACADEMIA ABOENSI,

PRÆSIDE

VIRO CI.

DN. ALGOTHO A.
SCARIN.

HISTOR. & PHILOS. CIVILIS PROFESSORE

ACADEMIÆQUE BIBLIOTHECARIO,

*Publico examini subjecit*JOHANNES BILMARK, *Job. Fil.*

V. GOTHUS.

AD DIEM III OCTOBRIS, ANNI MDCCL,

H. & L. S.

 ABOÆ, Ex. JOH. KÆMPPE, Reg. Acad. Typogr.

Sr: R:æ M:ris

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

D^N. DANIELI
FUSLENIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI celeberrimo, dioceseos:
SKARENENSIS EPISCOPO eminentissimo, Ven. Consist. PRÆ-
SIDI gravissimo, Reg. ibidem Gymn. & Schol. EPHO-
RO adcuratissimo,
MÆCENATI MAXIMO,

Maxime Mæcenas, PRÆSUL venerande Gotthorum,
Suscipias, supplex rogitō, quod frigida fætum
Elio TIBI tenuem mittat de littore caro,
Littus, quo nomen resonat per amoena vireta,
Musarum usque TUUM, cedro quod scripsit Apollo
Dudum, quo seri volvant TUA facta nepotes.
Littus, quo grex castra sequens vexillaque Christi,
Excubias cuius vigiles modo gnarus agebas,
Persoluit grates memori de corde perennes.
Gardia nostra, licet nomen nunc civibus ipsis
Vix notum, vasti pars est quoque littoris hujus.
Quæ ergo epus sistant, diluto FATA colore
Conscriptas chartas facilis vultuque sereno
Adspicias, quamvis nullo munuscula cultu.
Grandaævum superes annis, rogo, Nestora multis
Indesule quo tanto Vestgotthica rura fruantur!

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Client: humillimus

JOHANNES BILMARK,

RECTORI MAGNIFICO

Dn. Mag. OLAVO PRYSS,
Juris Patrii & Rom. PROFESSORI celeberrimo,
MÆCENATI MAGNO,

VIRO maxime reverendo atqve celeberrimo,

Dn. Mag. SAMUELI PRYSS,
S. S. Theologiæ PROFESSORI dignissimo, utriusque
Consist. ADSESSORI gravissimo, Ecclesiæque Pama-
rensis PASTORI meritissimo,
Mæcenati magno & Nutritio indulgentissimo.

Cum magnos non nisi magna, neque doctos nisi tersa & ex-
quisito elaborata studio deceant, merito dubitat incomita
mea Minerva, fatum huncce tenuem limato VESTRO conspectui
submittat, an vero in ipso, quod dicitur, partu eundem sup-
pressum sititura. Sed erigit & allicit dubitantem prolixus &
singularis favor VESTER, quo me per aliquot annos amplecti
hæc designati estis. ILLUM imprimis studium, Tuæque MÆCE-
NAS & NUTRITIE propensissime, benefacta dum grata mente re-
colo, tanta & tam multa eadem esse invenio, quanta non mu-
nere, neque voto assequi possim, in illa distractione magna men-
tis meae, quam properata b. Parentis mors nuperrime accelera-
vit. Quicquid sit, ne merita VESTRA silentio involvere, me-
que ipsum ingrati animi crimine obligare velle videar, prae-
sentem de Holmgardia vetere historiolum nominibus VESTRIS
inscribere a pietate alienum non duxi, quam ut serena fronte
excipere, measque fortunas constanter conservare dignemini, hu-
millimus oro & obtestor. Conserver vosmet Summum Numen pa-
triae, orbi nostro literario, & demum stirpi inclutae VESTRÆ pi-
gnori praesidioque, in longam annorum seriem, dum meis fa-
vencis suffragandi studium ego neque penes VOS un-
quam dehaerabo.

CELEBERRIMORUM NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus

JOHANNES BILMARK.

*VIRO admodum reverendo atqve
praeclarissimo,*

**Dn. Mag. ANDREÆ
VICTORIN,**

*Pastori in Fogelås meritissi-
mo, viciniqu; districtus Prae-
posito vigilantissimo,
Avunculo semper colendo.*

*Viro plurimum reverendo atq;
Clarissimo,*

**Dn. JOHANNI
BECHNER,**

*Pastori in Hwalstad dignis-
simo,*

Patruo carissimo.

Viro amplissimo,

**Dn. ANDREÆ
UNGER,**

*Civitatis Vexionensis Con-
suli æquissimo
Patruo honoratissimo.*

Viro spectatissimo,

**Dn. CAROLO
BILMARK,**

*Teloniorum civitatis Lin-
desbergensis Inspectori ad-
curatissimo,*

Patruo exoptatissimo.

Viro Spectatissimo,

Dn. SVENONI BILMARK,


**Gazæ publicæ a rationibus dexterrimo,
PATRUO OPTIMO.**

Vobis, Avuncule & Patruo exoptatissimi, ob innu-
mera in se collata beneficia, gratissimum animum, sum-
mamque observantiam testificaturus, has qualescunque studio-
rum primitias, cum flagrantissimo omnis felicitatis voto of-
fert & consecrat

NOMINUM VESTRORUM

cultor observantissimas,

JOHANNES BILMARK.



§. I.



Artorū plagā (inhabitatores) inter anti-
quissimas gentes numerandos esse, vel
exinde constat, quod non aliunde, quam
ex ipsius Asiā gremio primi advenerint
incolā. Antesignanus enim coloniā huc migrantis AS.
h. e. ex Asia oriundus (*) in antiquissimis dicitur hi-
storiiis: immo expressis verbis identidem generis series
& stemma ejus ex Asia educitur. Scilicet, cum post
confusionem Babelicam increfcere magis magisque ge-
nus humanum inciperet, inque varias mundi partes co-
loniā se infunderent per patentia maria aliā; aliā ve-
rò tuto magis itinere per lacus, paludes, flumina, ra-
tibus ruditer confectis, silvas & squalidas siccitate re-
giones occuparent: non minori cum veri specie, quam
annalium fide asseritur, Japhetidas, Volgā, Tanais,
Borysthenis, Dunā, Dvvinā ductum sequutos in hac po-
lo proxima otia concessisse, ibique quam alibi magis
securas commorationis sedes elegisse. Neque enim in-
clementia cœli aliqua plagā invadendā hujus moram
advenis injecisse censenda est, id quod exterorum mul-
tis hodie magis, quam olim *per quietem* visum fuit; cor-
poribus enim minus nocet frigida, quam calentibus va-
riis

2
 riis iisdemque noxiis exhalationibus oppleta atmosphaera. Videre autem videor, qua fronte illi dicta excipiant, qui septentrionem primis post diluvium seculis, aquis ultra montes Riphazos assurgentibus, submersum fuisse probare conantur. Verum cum ad convellendam sacrae & profanae historiae antiquam fidem spectet hypothesis ista in foro Philosophico, quantum satis est, nondum excussa, certe ad umbilicum non deducta; quin, in non paucis, ubi in exemplum regulae experientia citatur, ipsa secum, dissentiens sit: mihi certe, si quae in incerto adhuc fluctuans est opinio, adeo certa & evidens non adhuc obveniat, ut quae inhabitati ab antiquo orbis hujus decora fuerunt, primus ego, vel inter primos eradere sustineam, obstinationi alicui dissentium meum non facile verum iri speraverim.

(a) *AS* Deus verus & summus olim dictus fuit. Inde Dei multarum gentium eodem nomine compellari capere, quod miraculo rerum gestarum, aut utilium inventionum claruere. Apud nostrates *ASIAMÆN* & *ASKYNDUR* dicebantur, quod principis Phrygiæ in has terras comites fuere. Ab illo versatis celebri nomine, sicut *ASIA* pars mundi divina, ita ex eodem quoque *ASGARD* & *ASHOF* civitas Dei cognominari meruere.

§ II.

Proximo ante natum CHRISTUM seculo, in borealem plagam *OTHINUS* II. concessit, Svethiamque suae ditionis fecit, postquam in *GYLFONIS* ad obsequia facillimi regis familiam admissus, eundem diviniore cuiusdam sapientiae admiratione dementasset, populumque glaucomate isto ad defectionem a principe suo transduxisset. Venit non solus nec cum paucis, sed numero Asiaticorum stipatus agmine, regem, si praestigiae

3

Rigiz non valerent, armis hastisque extrufurus. Tan-
tam verò hominum nubem, qui in aliorum potius de-
gere terris, quam in fuis confenfecere affveti erant,
cum patria non caperet, in vicinas variaz post non
multo demigrationes & difperſiones factæ fuerunt. *Ve-*
mediam transmarinam præ ceteris regionibus in fuas fe-
des confecraſſe, qui mutandi ſoli conſilium cepiſſent,
facti non unius loci teſtantur. Loquitur de recepto
pridem aboriginum Gothorum more iſto *Jornandes*, cum
ex *Scanzia* inſula, quali officina gentium, aut certe ve-
lut vagina nationum, cum rege ſuo *Bericho*, Gothos
quondam fuiſſe egreſſos; eodem oceani ripas quaqua-
verſum inſediſſe, ibidem caſtra metatos, & veteres in-
ſolas, commiſſo prælio, avitis ſedibus pulſos, ſuis ap-
plicuiſſe victoriis, perhibet. *Ulmerugiam* trans mare pri-
mam Gothorum coloniam tenuiſſe, Hiſtoricus idem
commemorat: quam ſi *Venedico* ſinui conterminam
fuiſſe, eandemque *Careliæ* & *Ingriz* partem olim con-
ſtituiſſe, recentiores nonnulli evictum ire potuerint,
non aliam, quam ſeqvioris ævi *HOLMGARDIAM* fuiſſe,
non è longinqvò quivſque videt.

§. III.

ET quod ſeqvioris ævi coloniam *Orhini* attinet, non
Hiſtoria ſolum illius in partes Orientales migran-
tis teſtis; ſed reficant parœciarum & præfecturarum,
quæ adhuc ſuperſunt, nomina quoque veterum ductorum
ſuorum memoriam. *Sturlaugeri* hiſtoria gentis *Aſiaticæ*, *O-*
rhino duce in leptentrione primitus ſedentis, & per omnes
terras linguæ ſuæ commercium diſſeminantis, ab initio
mentionem facit. Qui *Hervoræ* hiſtoriam literis conſigna-
vit, *TIRCAS* nomine prodit. annon ex illis *Tirkar* *Fennin-*
giam tranſeuntibus, *TURKU KJÖPÖRUD*, *TURCILINGI*

Slavicæ originis, & demum Aboënsis urbis Fennica denominatio descendat, vernaculæ nostræ me magis gnaros, arbitros appello. In *Savolaxia* occurrit parochia *SEM-MINGE* Othini sive filii sive nepotis, cujus sub auspicio primos accepit colonos, rerum gestarum gloriam retexens. *SALMA* lacus, ipsaque regionis *SAVOLAXIÆ* (*SAIMENLAXIÆ*) appellatio a *SABMIS*, *SEMBIS*, *SEMLANDIÆ*, quæ hodie est, vetere colonia, aut certe stirpis Othinianæ in hanc terram duce, cujus mentionem modo fecimus, quique magnæ auctoritatis Vir, Verelio audit, utrum nomenclaturam suam traxerint, post non multo visuri erimus. *KARELIAM*, quam Venedia sub se complectitur, ita dictam a *KARO FORNIOTHI* filio, qui primus in hac regione sedem obtinuerit fixam, nob. *BIOERNER* evictum dedit in tr. de Varegis p. 137.

§. IV.

Nemo mirabitur, si, quæ primis temporibus in *Russia* contigerunt, tenebris, quibus Bosphoranorum acta cetera, cimmeriis sint involuta. Barbaries gentis ante non multa secula deposita, Tattarorumque, qui eidem diu imperitarunt, deprædationes & incendia faciunt, ut credam, quod si quæ blattis & tineis escam non præbuerint monumenta domestica, fabulandi monachorum licentiâ omnia sint corrupta; qui, cum fatiscens majorum traditionibus lucem aliquam affundere videri voluere, nullo non imposturæ genere contaminare aggressi sunt. Nisi igitur historia Moschovitica annalium fide *Syethicorum* collustrata esset, certitudo gentis illius politicæ & œconomix, ad tempora usque *Roderici* ejusque fratrum Waregorum, omnis ferè vacillaret. *Risalandiam* ante adventum *Sigurlami*

aliquos habuisse incolas, improbable non est: Gothis vero sedes hic figentibus, reipublicæ formam eandemque Asiaticam vel monarchicam mox acquisivit. Post obitum Sigurlami, quid in hac terra actum sit gestumque non constat, nisi quod versus gigantes, filius ejus *Svafurlam*, gigas ipse, facinora magna & memorabilia ausus fuerit; utrum verò alias nationes, qui eundem proxime excipiebant, posterì illius subjugaverint, & quousque fines imperii sui dilataverint, præterquam per conjecturam augurari nemo potest. Quid quid sit, quamvis fortunam & conditionem primorum temporum gentis hujus expiscari nulli potuerimus; indubium tamen est, terram hanc, sicut ceteræ omnes orbis partes, in minora multa regna primitus divisam disiectamque fuisse. Eorum quodlibet suum agnovit exarchum, quorum maxime incliti sunt, qui Novogardiæ, Holmgardiæ, Aldejoburgi (Stargard) & Kioviæ sedes imperii habuere. Circa medium seculi IX. e *Varegia*, quam, ipsis ultro concinentibus Russis, Svethiam esse non amplius ambigit quisquam, tres principes eodemque consanguineos, *RODERICUM*, *SINAUM* & *TROUVORUM* ad habenas imperii capessendas evocarunt Moschovitæ. Hi triumviri vastam regionem inter se partiti sunt. *Rodericus* Novogardiam, *Sinaus* Biela-Ozoram & *Trouvorus* Pleschoviam obtinuit: Sinao autem & Trouvoro brevi post decedentibus, summa imperii Roderico in solidum fuit delata. Limites hos valde prorogavit *IGORI* Roderici filii fortissimus belli dux *OLEG* vel *ODLEG*, quem cum *ODDONE* Jaculatore e Norvagiæ regulis oriundo, eundem esse in suo de *Varegis* *Schediasmate* b. m. *BJOERNERUS* multis contendit, sub jugum Ruthenorum Kioviam, Smolenskoviam & pro-

provinciam Drevlianam, vel ut ab aliis nominatur, ducatum Pacinacensem mittens. *Roderici* pronepos fuit *VOLODOMIRUS* vel *VALDEMARUS*, qui eodem tempore, quo *ERICUS Victoriosus* Svethiæ monarcha vixit, & in annalibus Svethicis, præsentim *OLAVI Tryggvassonii* regis historia perquam celebris est. Ille prout fratrum suorum sanguine aditum sibi ad imperium aperuerat; ita discordiæ semina inter filios non minora sparsit, regnum inter illos dividens. Loco unius duodecim mox agnoscere regulos, filios *Valdemari*. regio coacta fuit. Novogardia, Polotsko, Kiovia, Rostovia, Muromia, Volodomiria, Pleschovia, Tweria, &c. quæque suum nacta fuit dominum. Fratribus autem in se invicem debacchantibus & de summa imperii concertantibus, *JARISLAVUS*, *OLAVI* Skautkonung gener, Varegorum stipatus copiis, terras majoribus suis subjectas solus sibi vindicavit: orientali ditione excepta, quam *Mesilasius* quidam impotentis fortunæ suæ spoliū esse voluit, sed qui *Tattaris* hoc eodem tempore Poloniam & Silesiam obsidentibus, fasces submittere post non multo coactus fuit. Hi cum in ulteriori Sarmatiæ parte, res suas ex sententia egissent, Moschoviæ subjugandæ mox consilium iniverunt. quin successit adeo prosperè illis etiam populatio ista, ut qui hactenus cum imperio fuissent, principes indigenæ, ad arbitrium horum dominorum se suaque conferre coacti fuerint. Atque in hoc statu permansit Russia ad annum usque 1477, quo *JOHANNES BASILIDES Senior* ad excutiendum jugum cervicibus Russorum a *Tattaris* impositum, animum viresque imperii sui convertere cœpit.

S. V.

Qui historiam patriæ adcuratius sunt rimati, præcipuè

eipue verò *STURLONIDES*, ceu apprime notatu dignum observat, sub *Svetthiae* nomine non aqve patentem terræ tractum semper intelligi. Discrimen admittunt inter *SVITHJOD* & *SWEAWÆLDI*, inter *SWEALAND* & *SVEARIKE*, quod tam ex *Vikina Saga* p. 76, quam ex aliis bene multis scriptis elici potest. Per *SVITHJOD* nonnunquam tota illa orbis pars, quæ a Ponto Euxino septentrionem versus se immenso spatio extendit, cognita fuit, & *SVETHIA MAGNA* dicebatur. Cui assertioni suffragatur *Ynglinga Saga* p. 122. *En northan ad Svarta hafi geingur SVITHJOD IN MIKLA, erbur in Kaleba: Svithjod ena mikla kalla sumer men eigi minni en Serkland in mikla, sumer jafna benni vid Blaland.* h. e. a Septentrione ad mare nigrum exporrecta fuit *Svetthia magna*, vel frigida: hanc non minorem magna *Serklandia* (a) alii faciunt, eam cum *Blalandia* alii comparant. In eandem ingreditur sententiam *MATTHIAS MICHOVIVS* afferens: omnem illum tractum, qui priscis *Sarmatia* & *Scythia Asiatica* dicebatur, *Gothici imperii* & possessionis olim fuisse. Illius effatum pro genuinæ antiquitatis testimonio accipere, si detrectaverit quisquam, en descriptionem a *TORGNYO* *Uplandorum* nomarcha factam. *OLAVI Skautkonungii* tempore ille floruit, & de imperio *S. Gothico*, quod *ERICO EMUNDSONIO* regnante, *Finlandiam*, *Careliam*, *Esthoniæ*, *Tattariam*, aliasque late patentem regiones ambitu suo comprehenderit, in ipsis regni comitiis testatum fuisse constat. Et profecto, si *Svetthia* officina & vagina fuit gentium, quam laudem firmis admodum argumentis eidem vindicarunt Historici, vix pauciores illam complexam fuisse regiones oportet. Ex *Scandinaviæ* enim proprie sic dictæ gremio tot tamque popu-

populosas emitti potuisse colonias vix alias credibile videtur, quid? quod cum hostes ingentibus stipatos copiis laceffere non dubitaverint nostrates, quis non habitabilis Svethiæ maximam olim vastitatem fuisse, ul- tro agnoscit? Quæstionem facile suboriri intelligo, quo tempore potentia Sveo-Gothica ad tantum adscenderit fastigium? Hoc factum esse existimaverim, paulo post, quam *Othinus* II. septentrionales terras sibi subiecisset. Eundem filium *Sigurlamum* ad orientem ditioni universæ, puta *Venediæ* præfecisse modo audivimus, sed non alio, quam fiduciario jure solo: neque dubitamus, quin nihilofecius curandæ summæ rei arbitrium potestatemque sibi reservaverit Othini imperiosa majestas. Quæ verò tempestate recentioris ævi migrationes ab aliis in alias gentes susceptæ fuerint, res est non adhuc, quantum satis est, palam facta. Id eventus ipse docuit, quod ingruentibus domi variis tam externis quam internis calamitatibus, provincias Tanai adjacentes hostibus cedere coacti fuerint Svethi; in illo magis magisque coarctato Svethiæ imperio satis habentes, quod Novogardiæ Pleſchoviæque reguli supremo regi Upsalensi fiduciario jure per plurium seculorum decursum obnoxii vixerint. Præstabant illi reguli, ad modum Germanorum *Marchæ-comitum*, præsidium versus incursiones barbarorum, & quotquot juris illius ditionisque cives fuere, aspreolorum pellibus, in vicem tributi, solutis, securitatem privatæ domus suæ singuli, idque quotannis redimebant. Sed fuit illud fiduciarium imperium neque semper tranquillum. Fuere inter illius principes alii aliique, qui invigilantes occasione, alienigenam dominum detrectantes, plenarium jus regni ipsi sibi vindicare aggressi sunt. Decrescente
me-

memoria naturalis cognationis, nocendi proclivitatem in genere humano succrevisse, *CICERO* monet. De *Othinianis Viregis* idem dicendum, quod imminutâ apud ipsos etiam communis stirpis memoria, gloriae & dignitatis suae auctoribus post non multo imminere coeperint. De *HERNITHO* enim ab origine proximè remoto regulo legimus, quod regnum Gothorum ipse invaserit, ejusque cives tyrannica manu supplantaverit. Meminit turbati imperii & temporum illorum *RIMBERTUS*, *Anscharii* religionis testis idemque vitae illius fidus auctor, cum ævo suo quoque Sveonum regem *OLAVUM II. Bjarnonis* Haugensis filium, in Curlandiam valido congregato exercitu expeditionem fecisse narrat, urbibus præcipuis expugnatis ad victas manus dandum compulisse gentem, datisque obsidibus ad census sveci solutionem, imperiique Svethici, sicut antea, superioritatem agnoscendam metu suo adegisse, commemorat. Danos occasione invigilasse & *Anscharii* ætate ad excutiendum jugum S. Gothorum cum rebelligente colluisse, insuper etiam memoriae prodit: verum *HACHONE RUFIO* regnante adhuc imperii S. Gothici partem constituisse, *ADAMO BREMENSI* præeunte, venerabilis Acad. Upsal. Senior Dn. Doctor *OLAVUS CELSIUS* observatum dedit in epistola ad Cl. Præsidentem data, cujus apud *NETTELBLADIUM* Bibliothec. Sveth. Part. V. p. 66 copia prostat. Hæc & alia multa ex antiquis annalibus deprompta testimonia, satis indicant superque, *VARREGIS SVETHIS* quondam paruisse Venediam, imperiumque horum cum detrectarent incolæ, ad necessitatem dedendi semet regi Upsalensi iterum iterumque fuisse compullos.

(a) *SERKLANDIÆ non unius, sed geminae in historia*

*priscis mentionem fieri; alterius Tartariæ seu Sirkassæ, vulgo sc
diBæ; alterius Africana, urget in laudato jam ante Schediafmate
suo p. 73, Bjærnerus, qui inter mortales nuper esse desit. BLA
LANDIA in historia Asm. & Eigilli BEUUSU. MAN - LAN
DIA dicta, situm cum Bulgaria Russorum eundem obtinet.*

§. VI.

Vere dixit nonnemo: *vocabula sunt vestigia, ubi reã
rum cubicula.* Oriuntur, Ammonio teste, philosopho
peripatetico, nomina non sine mente & consilio.
Conferunt alii nomina, *spe inducti; alias ad conservan
dam memoriam appellationes imponuntur.* Ad conjungendam
cum posteritate antiquitatem gentis suæ, nostratium
coloniis ubique fere usitatum fuit, ut quæ longo u
su increbuisent, vernacula locorum nomina, victri
cibus armis suis ad externos quoque propagaverint. Hinc
qua parte terrarum inveniuntur, immo multiplicantur
notiones Gothicæ, quis non incolatus gentis illius in
ibi se quoque rationem reperiisse agnoscit? Certe non
ego, neque alius quisquam facile concipere potest,
qui nomina, mores & caeremonias Gothorum penes
se irrepere pati potuerint Venedi, nisi a Scandianis
majores suam originem olim habuissent. Est Russo
rum lingua notionibus Sarmaticis usque adeo referta,
ut si voluissent fata ad ipsos pertinere nomenclatio
nem primam locorum, vocabula, quibus una cum
regione inclarescerent, aliunde arcessere, civibus plane
non fuisset opus. Nunc cum non mare ipsum modo,
sed & fretum, immo regiones & urbes in proximo
sua notionibus mere Gothicis insigniantur, coloniam
gentis nostræ viciniam illam prius insedisse, res ipsa
loquitur. Trahit in illam sententiam exterorum mul
tos, etiam invitos, JORNANDIS testimonium, cum de
popu-

populis ex Scanzia emigrantibus perhibet, quod quas-
 cunque terras insederint, iisdem quoque ex se nomi-
 na indiderint. confr. Hist. Get. C. 13. Urssisse idem in-
 stitutum aliarum orbis terrarum occupationibus disten-
 tos, in comperto res est posita. (*) Interim cum im-
 petu non uno sed diverso i. e. per intervalla temporum
 frangere potuerint nostratium sobolem vere martiam,
 in pristinum robur iterum iterumque convalescentem;
 magis de vindicando sibi principatu, quam de abolen-
 dis pristinis nominibus curam cogitationemque inten-
 disse suam, cum factis consentiens usus ipse compro-
 bat. Ut quæ dicta sunt exemplis non multis sed pro-
 bis & validis evictum eam. Nostrum quis, quæso, ne-
 scit gentis, quæ ultra Vinlandiam sedes suas fixerat,
 principes *VÆRINGAR* dictos fuisse. Est nomen idem
 Gothicæ omnino originis, & quo vix aliud breviter
 & concinnè magis illorum summam officiorum expri-
 mere potuit. *VÆRING* descendit a *VERGJA* vel *VÆR-
 JA* & significat non solum vim aliorum infringere;
 verum etiam periculi imminentis quæpiam admonere.
 Hinc *WARG* nomen, item *VÆRJA*, *VÆRJENDUR*, *VÆRIN-
 GUR*, *VÆRING* *custos* originem traxit. *KYRKOWARGAR* cu-
 ratores & æconomi templorum apud Scanos hodie quo-
 que insigniuntur. De vocabulo hoc, *VÆRINGORUM*que
 officiis vid. Diss. Cl. Præsidis de *VAREGORUM* originibus,
 nob. *BIOERNERI* tr. de *VAREGIS*, itemque Prof.
 Lundensis Cel. D:ni *BRINGS* de *GOETHUNGIA* commenta-
 tionem p. 36. Ab hac notione literarum, caractere
 solo dissentit alia decomposita, quæ *LANDVARNAR-
 MADUR* a *LAND* terra, *VARNA* admonere & *MADUR*
 viro h. e. regionum præsidarii reguli iidem nuncupa-
 bantur. Occurrit in annalibus horum Vasallorum

(*WACHTSHALDIR*) frequens mentio, quomodo, invalescentibus una cum tempore opibus illorum, Upsalensi supremæ potestati, fiduciario jure subijci demum aperiati sint. Loquitur res ipsa quoque, quomodo hostibus ingruentibus, quoties suppetias peterent, indigerentque, nulla habita detrectati obsequii ratione, a sui genitore vel effectore populo multoties obtinuerint; quin, cum intra Scandiam bella externa, sæpe etiam civilia increbescerent, reductos ad obsequium regulos hosce progenitoribus auxilia submisisti; immo contractis matrimoniis arctissimam utrinque conjunctionem sapius promotam & stabiliorem redditam fuisse constat. Felices non una parte neque uno modo, quamdiu cum *Marchionibus* suis *Svethiæ* conveniret. Sed non diu fuit, antequam diffensiones armis non ullis frangenda se undequaque movere inciperent. quam enim gratiam degeneres filii parentibus rependere crebro solent, eandem refractaria *EXCUBITORUM* loboles hæcæ quoque avitæ genti suæ sæpe retribuit.

(a) *Borussiae & Pomeraniae ditiones boaiernaeannon Slavis & Veneis in illas terras sequioris ævi colonis nomenclationem suam debent?*

§. VII.

Sed sunt non illæ voces unicæ, quæ, quod dici solet, ex Græcia in Latium immigraverunt: sunt adhuc plura nominum a Gothis desumptorum exempla obvia. Terra, quæ regulis, quorum ritulos breviter expendimus, paruit, *GARDARICÆ* nomine olim quoque appellatur. Hanc ita dictam vult *SCHOETIGENIUS* in tract. de Russorum Synonymis, quasi urbibus dives, majori illarum copia abundaverit, quam ulla alia tum temporis septentrionis regio. Quod si verò attendere Viros

clarissimo placuisset ad ea, quæ de Germanis *CÆSAR* & *TACITUS*, atque de urbium in uniuersum antiquitate discribit *CONRINGIUS*, quod ante *CAROLI M.* tempora urbes penes se nullas, majores nostri pati potuerint, honorem antiquitatis & nobilitatis politicæ nus illud paganis inhabitatoribus hujus plagæ, adeo non promptè & licenter tribuisset. Fuisse civitates eorum longo tempore merè rusticas, & citra urbes legibus & imperio stetitisse solo, *Illustris VILDE* in sua historia politica evictum dedit. Deducitur autem *GARDARICIAE* nomen a *GARD* custodia & *RIKE* regno. Olim enim incolas hujus regni Scandianis in custodiam positos fuisse, seu qui hostium insultus reprimerent, supra monuimus. De *ZENOBIÆ* Palmyrenorum regina prostat effatum *TREBEL: POLLIONIS*, quod servante illa fines imperii Romani ad orientem, quæ instituisent securius ipsi perpetrare potuerint. De Gothici imperii feudatariis hinc formulam decernendi eandem non inepte accommodari posse, quisque videt. *GARDARICIA* autem a Slavis h. e. Russis & Borussis directâ, Svethiam violentam hostium tempestatem prope sentire cœpisse, certe otii, quo fatigantis domi sortis suæ incommoda levaret, jacturam fecisse, in aprico posita res est.

S. VIII.

Dicitur identidem regio hæc quoque *GARDAVÆL* *DI* a *GARD* custodem, & *WÆLDI* imperium denotante, adeoque *GARDAVÆLDI*, vi derivationis, est regio custodum vel Gardianorum subjecta imperio. *AUSTERGARDIÆ* & *OSTERGARDIÆ*, nomine quoque insignita fuit, ab *AUSTR* oriente & *GARD* custode sive munimento, significatque adeo non en idem, terram hanc
pro-

propugnaculum regionum Svethicarum versus plagam orientalem sitarum fuisse. Quid, quod antiquissimæ membranæ & musco circumliti lapides runici mentionem injiciunt itinerum, quæ Othiniani in *AUSTURVEGIAM* olim instituerunt, *HAN REISTI AUSTURWÆGS*. Quamvis autem fatendum sit per *AUSTURVEGIAM* omnes orientem versus sitas regiones interdum intellectas fuisse; sapius tamen *Venedia* primorum temporum eo nomine indigitatur. Componitur autem *AUSTURVEGIA* ab *AUSTR* oriente & *VEG* via, notissimum enim est, Gothos gloriam famamque aucupaturos, versus alias non magis aut sapius, quam orientalem plagam hancce quondam expeditiones instituisse. Causa sine dubio, quod in bivio quasi sitæ fuerint dictæ regiones, unde in orientem pariterque occidentem commodissimè iri potuit. Hinc Russi *AUSTURVÆGS-MÆN* à Gothis appellantur. cfr. *STURLONIDEM* citatum *LUNDIO* in *Zamolxe* C. 2. §. 16.

§. IX.

Sed non *Gardariciæ* nomine, ceterisque cognominibus saltem cognita hæc Marchionum regio, verum in annalibus Norvagicis *OSTWENDEN* etiam nuncupatur. cfr. ad *Heimskringla* Tom. II. indicem, ubi in itinere, quod *HARALDUS Hårdroede* ad *JARISLAVUM* *Gardariciæ* regem ingressus fuerat, describendo auctor occupatur. Praefectus *OSTWENDIÆ* ab affine rege ibidem constitutus dicitur. *OSTWENDIA* autem dicitur, sequioris avi *Venedorum* intuitu, qui ex hac nostra, ceu matris gremio egressi, Baltici maris viciniam *Scandiæ* oppositam omnem fere coloniis suis impleverunt. *REID-GOTHALANIAM* h. e. dynastiarum *Sveo-Gothicorum* una cum patriâ, regnum, præcipuè verò *ANGANTYRI*,
HEID-

HEIDRECI & ceterorum, in hoc maris recessu insuper etiam quærendum esse multi urgent. Sed cum sit nobis constitutum de situ terræ illius agere thesi ultima occasione *SAMSOÆ* insulæ, in quo altero martis campo, seria ludorum olim explicuit pugilum turba Gothorum, donec eodem nos deduxerit series dicendorum, incipitis, & si quæ alia controversæ rei illius examine interea supersedemus. *HOLMGARDIÆ* oram, una cum vicini maris sinu, *VAREGIÆ* nomine Russis ipsis hodie quoque venire, non unus & alter, sed plures veteris ævi consulti evictum iherunt. *DROMITAS*, a remigibus, qui naves actuarias concitatissimo cursu impellerent, itemque *SPOROS*, *SLAVOS*, *ROSSEIOS*, *COSSEROS*que, exteris scriptoribus plagæ huius inhabitatores appellatos fuisse, constat. Sed cum nostri instituti res sit, non peregrinis gentibus, sed saltem nostræ genti usitatas evolvere nomenclaturas, intra septum me retineo, & ad illud, quod caput rei est, *HOLMGARDIÆ* puta recensionem nominis memet demum accingo. Est illud Scriptoribus rerum Svecthicarum & Norvagicarum familiarissimum, unde dissertationem nostram illo quoque nomine inscripsimus. Et certe ad exprimendum natale solum pristini incolatus gentis huius, nescio an genuinum magis aliud in medium proferri possit.

§. X.

O*STROGARDIÆ* & *OSTWENDIÆ* cognomento tractum illum omnem, qui Botnicum & Venedicum sinum interjacet, venisse olim, multa ad fidem faciendam præsto sunt argumenta, De Holmgardia idem dicendum. Neque enim apud Russos solum, sed in præfectura Kymenegardensi adhuc nomen superest, id quod para-

gra-

graphie sequens nos erudiet. Quodnam verò nomen, *OSTROGARDIÆ* & *OSTVENDIÆ*, an vero *HOLMGARDIÆ* robustum magis antiquitateque inveteratum sit, anceps est conjectura. Existimaverim interim, donec firmioribus in contrarium argumentis omnis sublata fuerit incertitudo, in illo certamine *OSTROGARDIÆ* & *OSTVENDIÆ* palmam esse concedendam. Etenim qui Scandiæ ad ortum oppositas terras, jure indigenatus primitus incolere, Venedi dicti fuere; & demum palatinaru ceu *GARDIÆ* feudo inibi instituto, qui custodiam limitum regnantis stirpis suæ receperunt, *GARDIANOS* & commissam curæ illorum regionem, *GARDARICIAM* & *OSTROGARDIAM* ab illo minimum tempore, quo a *SIGURLAM* (*ODD LAME*) (a) Svehiæ regis genero terra illa inundari cœpit, nuncupatam fuisse, verosimile est. *HOLMGARDIÆ* contra nomen, si etymologiam sequi velimus, tum demum civitate donari cœpisse videtur, cum dynastia Othiniana in his oris ad occasum vergeret, & *Venlandia* propriè sic dicta, Moschoviaque non amplius unitæ, sed bifariam dissectæ, seorsim *MAGNUM DUCATUM* singulæ constituebant.

(a) Sigurlami inter filios Othini in genealogiis vetustis nulla fit mentio, nisi sit idem, qui nominis affinitate in illa stirpis & filiorum Othini recensione (Landfedgatal) Odd Lame dicitur h. e. mucronum hebetator, teste Verelio. Siguri verò i. e. victoriosi cognomine, in ceteris celebris erat Othinus. Ex eodem nomine venire, certe venire potuisse filii appellationem perquam verosimile videtur. *LAM* vero propriè paralytium h. e. debilem & membris fractum denotat; improprie maleficium exprimit, quo fabricata a Dvergis arma, nescio quo carminis aut succi veneno hebetari, veteribus pro persuasissimo habebatur.

§. XI.

Qui Rufforum origines accuratiffimo iudicio nuper investigavit Cl. *SCHOETGENIUS*, *Dresdensis*, inter Mofchoviz nomina refert quoque *HOLMGARDIAM*, idemque, Sturlonide auctore, cum orientis *GARDARICIA* pro synonymo agnofcit. Rationem redditurus appellationis, *civitatem fluctibus cinctam* innuere dicit. Quæ cum continentis Gardariciæ ambitum vastitatemque neutiquam comprehenderet nomenclatura, thema notionis Holmgardicæ nondum fatis evolutum effe fatetur. Ab *OERNHJELMIO* etymologiæ fuæ rationem defumiffie *SCHOETGENIUM* non ego dixerim. Interim ex annalibus ecclefiæ S. Gothicæ *Summi Viri* conftat, quod *Holmgardiaz* regnum in Curlandiæ & *Æsthoniæ* infulas, & quidem præcipue in *OEfel* & *Dagön* imperii illius fedem prolatum iverit. In illo maris recessu & proximis littori infulis fedem imperii conftitutam fuiffe, & ex confito terris freto Holmgardiaz nomen demum emerfiffe, ait. Onomatologiæ ifti & quæ eidem fuperftructa eft hiftoricæ fidei nihil nos derogatum volumus. Sed cum hærentem in etymo illo & prope diffidentem invenerim *Schoetgenium*; quin, neque confpirantem in illam *Oernhjelmii* fententiam alium quempiam hiftoricorum viderim: mihi neque vitio verti fpero, fi quæ aliis magis idonea apparet vocis illius originatio, ejuſdem in præſentia quoque meminero. Coloniz Afiaticæ partem, filio *Othint* archiftratego, in Venediam contendiffe, & quibus paulo ante *Sveti*, artibus iisdem indigenam gentem hac quoque regione ſub ſigna vocatam fuiffe, diximus. Fuere duces inibi, tempore nonnullo, clientelari jure ſubjecti *Upfaleniſi* dynaſtæ; id quod *HOLMGARDA-LÆHN*

nostratibus dicta regio insuper inculcat. (a). Sed cum in longa posteritate avitæ stirpis reverentia obsolevisset, factum sensim, ut intestina æmulatione eorum, qui rempublicam capesserent, in duplum vel triplum discerperetur magnus ducatus (b), & de limitibus, quibus in diversam plagam aditus præmuniretur, consilia, quorum intererat, inire inciperent. Turrium arte factarum supercilio non adhuc turgēbat barbara regio. Montium muri immortales, marisque ceu flumine interfusi vortices, castellorum, quæ nostri ævi sunt, vicem, rudi & inhospito illo tempore, sustinuisse videntur. (c) Qui Savolaxiam & veterem Gardariciam ab hodierna *Tavastia* (d) dirimit *Saimen* lacus ab una parte *Ladoga* (e) palude terminatur, ab altera autem, continuato in arctum & profundum alveo, *Ostrobotniam* usque exporrigitur. Est ille lacus L circiter milliarium, scopulis & insulis tenui freto adherentibus frequens adeo, ut ad orientem & occidentem sitæ regiones finitimæ septo valido & perenni magis aliis communiri vix poterint. Huiusmodi propugnaculo turrato & præcipiti *HOLMGARDIÆ* nomen originem suam debere, captaque nominis illius naturali opportunitate, incolas unius adhuc palati & linguæ, littoribus discretam regionem compellare cœpisse, credibile est. Neque in nomarchia *Kymenegardensi* modo *TESSIOE-HOLMGARD*, equestre prædium superest: verum in imperio *Moschovitico* ab urbe *Archangelopoli* præcul neque distitum est *CHOLMOGOROD* municipium (f), quod *HOLMGARDIÆ* veterem notionem in suo nomine renovare non diffirebitur, qui *Russorum* morem augendi numerum literarum rite observaverit. Vocabulum ipsum, demto

augmen-

augmento, non syllabæ, sed saltem litæra unius, mere Gothicum esse non dubitabit, qui in ipso Gothiæ gremio, & quidem præfectura Bahusensi, eandem appellationem recurrere noverit in prædio olim possessionis *STANONIS MALTESONII*, provinciæ Gubernatoris, cujus cum honore meminit vir Cl. *JOH. OEDMAN* in præfecturæ illius paulo ante luci publicæ data descriptione. p. 103. *HOLMGARDIÆ NIPHLUNGICÆ* in alpibus Helveticis sitæ historia Vilkini insuper etiam meminit. Sobolem esse coloniam *NÆFLUNGORUM*, *HOLMGARDIÆ* nostræ olim Dominorum nemo dubitat. *EIVINDUS* & *NÆFILLUS* Holmgardiæ hereditarii erant, teste ex Mscr. codice veteri, Peringskicældio. * A *NÆFILLO* autem gentis & nominis illius satore, aut saltem posterorum aliquo migrationis Gothicæ illustri socio, sicut *NIFFLUNGALANDIAM* hodie Burgundiam: ita *Holmgardiam Helveticam* suum quoque cognomentum invenisse, non longe videbit, cui plurium in Italia & Germania sitorum locorum nomenclaturam expendere, eandemque mere Gothicam esse, attendere, a re sua alienum non visum fuerit.

(a) Sub notione *HOELMGARDA-LÆHN* in chronicis nostris fere ubique occurrit hæc regio. *LÆHN* vero cum immobilis rei beneficium militibus concessum importet; unde *LANDSLÆHN* & *LÆNDERMADUR*; apparet Holmgardiæ principum jura, antequam auctæ & prolatae essent sedes illorum; fidei & obsequii professionem fuisse: saltem titulo non alio quam Vasallagii possessam illorum regionem.

(b) Magni ducatus nomine tergemina in vicinia regionem, Lithuaniam, Russiam & Fenningiam insigniri, palam produnt politici annales. Ad dominatum dynastæ unius integrum tractum aliquamdiu pertinuisse, non titulus ipse

modo, primum universitati competens, & post distractionem mox singularum partium factus, indicio esse potest: sed adfuit communitatis ejusdem genuini testes alii quoque. In ceteris auctor anonymus chronici Fennigiae, separationis Fennorum a Russia meminit, quod sine confederatione praecedente concipi nequit. Loquitur de eadem non obscure MESSENIUS, & qui in chronicon Fennicum structuras suas accedere voluit Illustr. NETTELBLADIUS in Biblioth. S. Gotb. Part. 1. p. 113. ubi ipse quoque ceu verissimam agnoscit hanc utriusque gentis conjunctionem, sed quam ultra tria secula, & novissimam sub ERICO Suetbiae rege invasionem terrae hujus, nullo modo durasse contendit.

(c) Tigrim & Euphratem magna sui regni munimenta esse, apud Curtium DARIUS agnoscit, & qui nuperrius Sinicae gentis historiam consignavere, portentosi conaminis murum tantum non praestitisse ad gentis securitatem fatentur, quantum maris insulas, montium & firvarum naturalibus opere valide munitas.

(d) FAVASTLANDIÆ nomine quid BIRGERUS JARL, qui regionem Suetico imperio subjugem fecit, designare voluerit, multifariam multi conjectant. Gotbicae originis illud esse nemo dubitat, cui Fennicae linguae nomenclatura multo diversissima, Hæme & Hæmenma non penitus ignota. De nominis illius auctore certe non dubitandum est, quin, alio more nomenclatorum, significativam esse voluerit novi nominis impositionem, adeoque in conferendo signo illo, partim incolatus illius conditionem, partim etiam facti & fortunae nuperam jactationem respexerit. Mibi nomen constatum esse videtur a *WANA* corrigere, *WAN* & *WATN* aqua, & deniq; *LAND* terra. Sensu igitur conjuncto suo, nostrae convenienter menti opinionisq; exprimere velle videtur vox illa continentem aquis irriguam & victricibus armis subjugatam. *WASSER* & *WATN* Scybi-

eae originis voces, quid dialecto Gothica significent *WASTENA* & *WASSBO*, notissima nomina satis apte demonstrant. Quid sibi velint *TA* & *TAKA*, familiaria Gothicis nomina multa indignant, inprimis *ÆTTAK*, *SUNTAK*, *QVÆTTAK*, *INTAKA* & cetera villarum, parochiarumque nomina, quae ditionis Folkungicæ pridem fuere, & a nostratis Jarli (*BIRGERI*) aula equestris *KONGSLENA*, admodum non multum distant. Confirmat quoque de violenta occupatione mentem nostram auctoritas regia, puta *CHRISTIERNI II*, qui traditae arcis Holmensis, pretium, feudi nomine Viduae *SIENONIS STURE* collaturus Tavastiam, *TAGSTAHUS-CASTRUM* & *TAGSTAHUS-LÆHN* appellat ditionem arcis propinquam in diplomate, cujus in historia Praesidum & Gubernatorum regni Suetbici *STIERNMANNIANA* habetur recensio p. 19. Quin, ne temere & praeter rationem quis existimet nomen illud genti impositum esse, in exempli loco *MÆLERI* lacus cognomentum. *MEDLAREN* h. e. intermediam inter duos majores regni lacus stationem eidem deberi & proinde nostratis mediterranei maris nomine insigniri meruisse, *ERICUS OLAI* in historia arctoa sua p. 116. ingeniose praetendit.

(e) Ad investigandum *LADOGÆ* lacus etymologiam, divinandam multa a multis collata est scientia. A *LAUGR* a qua Scythis Celtisque propria voce, *LAUGERN* (*Mælaren*), Suetbiae primum, mox inde nostra quoque suum nomen palus arcessit. A *VAN* & *VATN* s. Gothicae majores lacus, immo Fennis hodie quoque Russia *WÆNÆJÆ* dicitur. A *LAUGR*, *LAG* nomine, *LOEGA* verbum, *LOEGERDAG* lotionibus sacra aëis, & demum maris Adriatici ostium Venetum *LAGUNA* dicitur. Recentem verò ex Suetbia coloniam cum Gardariciam intraret, a fundo perennis aquae domestico, paludem, quam in novis seotibus suis invenirent, cognominasse non dubitabit, qui indigenatus sui nomina in colonias

semper & ubique nostrates transulisse, & demum literam unam alteramve vocabulis insenendi morem, nullius non gentis exteræ dialecto receptum esse, cogitaverit.

(f) CHOLMOGARDIAM cum emporio S. Michaëlis Archangeli, nescio qua ratione confundit SALAMUS in sua ad Asm. & Eigilli historiam commentatione. Ad DIVINAM annem (Wina, åhn) urbs utraqve sita est. A propinquo situ verò ad utriusque identitatem concludere non magis licet, quam a coherente Hamburgi & Altonæ situ eandem numero urbem inducere velle. Quicquid autem sit de situ, est aliquid, quo in unum convenisse dici possunt. Quam enim conversionem instituta humana nulla non persentiscere solent, eandem Holmgardia primum, mox Archangelopolis circum quoque experta est. Una cum efflorescente nova urbe, Holmgardia vigere desit. Rursum, quæ mercimoniorum copia per proxima secula duo dominata est Archangelopolis, condita Petropoli, senescere se hodie luasque sensim quoque vires deficere, palam fatetur.

(*) Peringkiceldii in vitam Theodorici annot. p. 532.
§. XII.

SAIMEN SAVOLAXIÆ paludem esse, ejusque formam, ceu filum nodis illigatum Holmgardici nominis indendi, occasionem dedisse, modo diximus. Eandem a **SABMIS** seu **SEMBIS**, & **SABMOS** a **SEMMINGER** Othiniano in illam ditionem ductore, nuncupari, prope in confesso quoque veritas posita est. **SEMI** & **SAAMI** ducem significare, & ab illo etymo **SAAMENLAXI**, Lapporum lingvâ, acquisitionis seu primæ habitationis illorum terram cognominatam fuisse, una cum **RUDBECKIO**, in Lapponia sua **SCHEFFERUS** consentit. **SEMI** & **GETHARI** Noachidarum (a) in hanc plagam ductui **SABMIOS** & **GETAS** atque **SAUMIMÆN** nomina sua debere, Illust.

Illuftri *VILDIO* non improbabilis conjectura apparet. *GOTUNHEIMÆ* gigantum & femigigantum collectio-
 nem, *SAMLAND*, (*Samling*) (*b*) appellari meruis-
 se, hiftoriæ *Herworse* auctor in ipfo exordio non ob-
 scure fignificat. Harum utra magis arrideat etymologia
 b. Lectoris arbitrium efto, cui in illa gentium & na-
 tionum mixtione primâ, unius rei plures sæpe dari
 homegeneas & analogas radices penitus non ignotum
 fuerit. Quicquid fit, *SABMIOS* quam Lappos, generis
 fui feminium, & *SAMEÆDMA* quam Lappiam altæ dul-
 cedinis vastitatem suam cognominari malle gentem,
 notum est. Complectebatur verò aboriginum *SABMIA*
 Jemitiâ olim, Angermanniam & longo tractu Botni-
 am utramque, atque demum in Careliâ, quæ *Kjænu-*
gardia seu terra feminarum australis audit, & *Finno-*
niâ finibus terminabatur. sic ut quicquid fit terrarum
 versus Septentrionem, usque ad oceanum & mare al-
 bum (*HVITATRÆSK*) nec non *Ladogam* lacum, cir-
 cuitu suo *Sabmia* complexa fit. *Cajania* Russis *CAJAN-*
SKA-SEMBLA (*c*) dicitur. Ab *ENARATRÆSK* boreali
Amazonia non procul *SAMBLE* tractus occurrit. Ne
 de *SEMMINGIA* Uplandiâ ultra quid moveam, quæ an-
 te factam disjunctionem Asiaticæ coloniæ majoris mi-
 norisque, suæ in hanc plagam migrationis antesignani
 memoriâ adhuc retinet. Seculo IV & V, cum anti-
 quam & maritimam *Venediam* intrare & paulo post
 inde quoque migrare inciperent Russi nomades, ex *SAM-*
BIA nostra (*SEMIWARDILAND*) in *SAMBIAM* hodiernam
Borussiæ sedes suas transtulisse, & ex illa *SAMOGE-*
THAS & *SEMGALLOS* (*SEMKALLERMEN*) martiam
 prolem Sembiorum, descendisse nullo modo dubitandum.
 quicquid in miscellaneis Berolinensibus pro diversa
 SEM.

SEMIGALLIÆ etymologia molitur commentationis de lingua Samogethica auctor J. E. *Hederus*, qui a *Sem* terra & *Gall* termino *Semigalliam* cognominari existimat. *Samogedas* ultimos arctoi orbis incolas, eosdemque primigeniæ Fennorum sedi, ut & *Zembla Sambiae* finitimos (*vid. LEIBNITIUM*) nostros Sabmios cognitione attingere perquam credibile est. Scilicet inter gentes e vagina hac egressas, quæ Baltica ad austrum littora primum, mox ipsam Germaniam inundaverunt, Semberum non obscura fuisse nomina, *OL. MAGNUS* in sua charta Gothica, & ex illo *MUNSTERUS* una cum *PERINGSKIOELDIO* in notis ad *COCHLÆI THEODORICUM* testes sunt concordēs. Certe in originibus suis Livonicis Illust. *HERMELINUS* non dubitat, quin in Æstham una cum lingua sedes primum transtulerint Sembis mixti Fenni, & post nonnullius ævi in plaga illa commorationem, Livoniam, Prussiam & quæ plus ultra sitæ sunt terræ postmodum occupaverint. Fennorum & Æsthiolorum linguam a Slavonica diversam esse in Miscellaneis Berol. observat *LEIBNITIUS*. Ex oriente vero & aqvilone in Germaniam sese intrusisse Slavoniam & Ruziam, atque inter Holmgardenses Russos suæque oræ populos Slavos, majorem, quam quis crederet, communitatem existisse ex Vitikindo in Hist. Germ. Imp. *DIETERICUS* cum *SCHWARTZIO* Professore Gryphico agnoscit, & demum *Semlandiam* Russis & Polonis contiguam una cum *Ventandia* subjugatum venisse *CANATUM* & *VALDEMARIUM* Daniæ reges, immo religioni S. Olavi terram utramque adstrinxisse, una cum Slavica gentis historiographis *ADAMO* ceterisque, auctor appendicis ad *SAXONEM* anonymus consentit. Hæc sunt, quæ de nomine *SABMIORUM*, eorumque in Holmgardia

Haec veterem incolatum, plausibili conjectura monuisse non ingratum spero. Dicit de SAMNIO colonia & urbe Scytharum in Italia FLORUS, ita deletas suo ævo fuisse ruinas illius, ut Samnium in Samnio quærendum esset. Eo orbe hocce utrum SAMBIORUM cum SAMNITIBUS operibus populi vestigia aliqua nos deprehenderimus, utrum conspectui nostro omnia se subduxerint, aliis expendendum relinquo.

(a) SAMOTHEI sive ABRAHAMI sive NOACHI, a quo una cum sanguine scientiam suam omnem desumerint Philosophi & Medici & Theologi Cætarum, mentionem facit DIKINSONIUS in disert. de Druidibus, & ex illo in antiquitate Mecklenburgicis MASIUS, Hafnienfis Theologus insignis. SAMVITI & BOGARINI in Moschoviam primorum ducunt, quorum non multo post extincta sit memoria, fide chronicorum Moschoviticorum SCHOETGENIUS meminit. SAMOTHEUM coelestem, jurisque divini & humani peritissimum significare DIKINSONIUS urget. BOG verò nomine, cum DEUM Russi expressum velint; SAMVITUS autem a Witt, Wittig, Wis ingeniosum, bonaeque conscientiae (SAMWETE) Visirium denotet, som samsar rifet, qui regnum lege & bonis moribus administrat, (Hervor. Hist. C. 14.) utrum de SEMBIORUM & GOTHORUM, aut, si dicere mavis, SAMOGETHARUM cognatione primaeva, & coloniae utriusque, boream versus, primorum temporum peregrinatione, conjectatio nova inde exsculpi possit, in medium relinquo. Id de Cætarum philosophis certum est, quod quo propior esset Theologia eorum origini suae, tanto sincera magis & fonti suo similior existerit antequam damnandis ritibus & superstitionibus, tractu temporis in crustaretur. Verum utcumque illa se res habeat, quod ad fontem & indolem vocis SAMVITI, cui non male convenire aivimus modo appellativi nomine, mox proprii

prii characterem, ne praeter rationem id a nobis factum quis existimet, sciendum Illustris LEIBNITII auctoritatem in idem factum nos imprimis sequi, qui in Miscell. Berolinensibus eam naturam linguae tantum non omni tribuit, quod appellativa nomina propriis priora sint censenda; & quae, procedente tempore, facta sunt propria, eadem usu sive simplici suo, sive composito, prudentiam, fortitudinem aliamve cum virtute conjunctam qualitatem denotare ait. THEODORICI & FREDERICI nomen in exemplum ipse adducit. Exprimit altitudinem animi eandem quoque Samviti boni ominis appellatio, neque sine consilio & acri judicio dignitati tuendis gentibus aevotae illa accommodatur. Apud Sueo-Gothos nostros, quam in conferendo nominis signo, ejusmodi notam liberis suis parentes adsignaverint, unae quibus moribus semet accommodare deberent, colligere ipsi possent, istud, inquam, cum more suo graphicè & scitè Dn. Doctor CELSIUS expresserit in observatione sua quoque ad Hist. Sv. anni 1727. inserta, hac de re pluribus differere non est opus.

(b) Lappi cum Fennis & Samogedis unius originis esse videntur SCHEFFERO. Patriam, quae hodie Fennorum est, Lappos, una cum imperio Sueonum hinc loci invalescente, defuisse idem sentit. Nos Auctoris de SAMOGEDARUM & SAMOGETHARUM cum Fenni consanguinitate hypothesin in antecedentibus adeo non negavimus, ut eidem magis accesserimus. Lingua enim, originis respectu invicem non dissimilis, corporis & ingenii constitutio, nec non privatae vitae ratio, usque hodie retinens vestigia pristinae formae, de sanguinis nexu certe non obscure loquuntur. Quod verò emigratio gentis, ante Suecorum sub ERICO rege irruptionem, nulla acciderit, adeoque cum finitimis ante nulla consuetudo existerit, id ut credamus ulla neque circumstantia, neque ratio

mos inducit. Fennorum & Creto-Fennorum; (Skrid Finnar) gentem, quod ad vitae modum, quem ab antiquo retinet, ante multo nobis non pauci exposuere. Eundem cum rationibus economicis, quae in Sembla, Sambia (Vide LEIBNITIIUM) & Cajenska-Sembla hodie obtinent, quisquis conferre voluerit, sanguinis & linguae nexum ad socialia vitae commercia, quamvis sub alieno, puta Fennico nomine, vicinas gentes multo ante excivisse, nemo dubitat.

(c) Næteburgum castrum Careliae munitissimum a **TORKILLO CANUTI**, nostrae gentis prorege exstructum, idemque arcendis Russorum latrocinis destinatum, Moschovitis Venes-Zembla dici, & sum Suetbico Landsrona eandem omnino rem importare arbitratur Nobil. **SCHOENSTROEM** in sua ad Hist. Svec. Introd. Stant ab iisdem partibus procul neque, qui in Persidem tendentes nuper per regionem **SAMOGEDARUM**, vi vocis cum antropophagis coincidere appellationem istam contendunt. Verum respectu ante dictorum, Lappiam Moschoviticam sub notione priori potius, exprimi existimaverimus. Quae Zembi & Zembli nominis ratio, sit censenda, modo diximus. Væælæiset a **VANIS** Celtis primorum temporum colonis, iisdemque aequam omnium rerum principum statuentibus, terram Russorum cognominari, veritas est ad umbilicum deducta. Slavi, Russive idiomate vernaculo utrum **VENEZ** regionem & **ZEMBLI** coronam significet, qui in antiquitatibus linguae utriusque magis versati sunt, non longe videbunt.

Partis hujus historico-etymologicae

SYNOPSIS

§. 1. 2. 3. Asiaticorum in Septentrionem immigrationis priscae & recentioris mentionem indicat.

- ficiunt, præcipuè vero familia **OTHINIA**.
NÆ per regna aquilonaria primum, mox *Ves-*
medorum, cognate gentis, plagam, dispersionum.
- §. 4. Imperium *Moschovia* hodie vastissimum in
 minora multo corpora politica olim divisum
 fuisse, ait.
- §. 5. Regiones **TANAI** adjacentes, præcipuè ve-
 rò, quæ sinum *Venedicum* proxime contingunt,
 imperio *S. Gothico* quondam subiectæ erant.
- §. 6. 7. 8. 9. Ex *Scandiâ* colonos & dynastas o-
 lim habuisse terram, gentemque *Moschoviticam*,
 nomina, quibus universus tractus ille insignitur,
 quæque mere *Gothica* sunt, satis apte demonstrant.
- §. 10. *Ostrogardiæ* an verò *Holmgardiæ* appella-
 tio prior & antiquior?
- §. 11. **HOLMGARDIÆ** quæ ratio denomi-
 nationis?
- §. 12. De **SAIMEN** lacu, nec non **SAMBIIS**,
 quæ quondam, quæ hodie sint observanda nom-
 inis inculcat.

